





Frid. Zamell

LECTUS GENIALIS

Thomæ Hesii, & Barbaræ Brauniæ,
positus

anno red. n. M. DC. XXXVI. XII *Ca. Febr.*

ELBINGÆ
Typis Bodenhausianis
anno M. DC. XXXVI.

22

Thomæ Hesio Adf. Sp.

CÆtera quò placeant, Patriæ dilectio præstet:
Quà res conjugii est, non ea caussa sat est.
Ipse bis urbe Tuâ renovavi fœdera lecti,
HESIADE: Tu nunc ureris urbe meâ.
Omnia vincat amor Patriæ: vincaris amore,
Quo thalamos hilarant Iuno Venusq; Tuos.

VIxistis quondam dulcis mihi cura parentes,
Hisq; sati fratres ardua turba mei.
Agnatis, qui sunt, non est cognatio major.
Absolvunt totum pignora nostra gregem.
Vivat uterq; puer! teneris Tu Sponse Zamelis
Cognata Hesiolos nomina junge Tuos.

INter salicta prati
Florentis iveram:
Cùm vitream strepentis
Vndam amnis intuens,
Ipsumque prona in amnem
Salicum cacumina,
Ad fontium scatebras
Murmurque constiti:
Veteresque Panum amores
Mecum recolligens,
O quàm beata, dixi,
Sunt Panes agmina!
Quàm fausta corda Fauni,
Queis sub virentibus
Dryadas licet puellas
Videre quercubus,
Hac telâ & hoc amictu,
Quo cincta Achillei
Mater Thetis sub antro
Est passa Peleum!
Hæc conspicata turba est
Syringa virginem:
Hæc membra vidit Iûs,
Natamque Peneo.
Quàm sæpe molli in herbâ
Nudam Proserpinam
Offenderit jacentem
Satirus protervior;
Quàm sæpe cum Dianâ
Occurrerint duce
Per vallium virecta,
Et montium juga,
Nymfæ sine retecto
Panum cohortibus;
Quoties remoto amictu
In fonte laverint,
Satiro latente & uda
Pascente lumina
In aureo capillo,
In fronte consciâ
Pudoris & decoris,
In Solis æmulâ
Face utriusque ocelli,
In narium modo,
Rubentium in genarum
Recente flosculo,
In albicante mento,
In collo eburneo,
In turgidis papillis,
In parte pectoris
Venustiùs coactâ,
In parte quam Venus
Adonidesque totam
Et Gratiæ occupant:
Et si quid est sub illâ
Seu pinguius femur,
Seu rectiora crura
Ad prominentiam
Tali utriusque & imi
Angustiam pedis,
Omne hoc notante pæti
Satiri proterviâ;
Nec qui diem reducit
Noctemque terminat,

Quique

Quiq; ipse vidit ista,
Phœbus recenseat.
Cytheræa capta quondam
Puerorum amoribus
Summa inter iliceta
Iacuit remissior,
Aut cum manu suarum
Vagata virginum est,
Pallâ fluente in auras
Deprensa Panibus.
Nereidas profundo
Quis nescit egredi
In littus, atq; somnum
Sub rupe carpere,
Quà marginem propinqua
Inumbrat arbutus?
Tuentur has & illas
Lasciva lumina
Faunûm nemus colentum,
Panesq; rustici.
Dic ô bicorne vulgus,
Quæ nimfa negligens
Cultûs decentioris
Cinctûsq; sobrii,
Vt sola secum in umbrâ,
Aut mista cœtui
Post tædium laborum
Aquas petentium,
Nunc exserens papillas,
Nudata nunc sinus,
Hac parte Naicorum
Præstare munerum
Sit visa: an hæc an illa?
Hyalene pulcrior,
Rhanis aut in his secunda,
Psecasne tertia,
Phialene quarta turbæ;
Aut illa congregum,
Cui Solium sub æstu,
Cùm longus it dies,
Dictynna dat pharetram
Lassata cursibus?
Crateis an marina
Toto venustior
Comitum choro suarum,
Nesæane, an Thoë,
Ianassane, an Thalia,
Pherusane impigra,
Dotone verticosa,
An Mæra fluctuans,
Eumolpa num sonora,
Melitene nigricans?
An vincit has Iæna?
Galatheane hoc decus
Rapit, an rapit Calypso,
An Doris amplior?
Genitamne Sole Circen
Præfertis omnibus?
Mutavit hæc amanteis
Socios Vlyssei:
In fœdus ista misit
Iugale Nereum:
Et illa visa forti
Vlysse fortior.

O for-

O forma, suavitasq;
Coloris integri!
O luminum vigores,
Et succida oscula.
Et quicquid in puellis
Molle ac tenerrimum!
Quid non habet beata
Panum salacitas!
Hæc proloquentis aures
Exile perculit
Suspirium salicti
Virgulta transiens:
In aspra saxa, in ora
Canum latrantia,
Vmbrosa in arboreta,
Fontesq; limpidos
Faunis amata Nimfæ
Sunt versa corpora.
Senuêre Panes ipsi,
Rigidasq; plurimi
Induruêre in ornos,
Frigente sanguine.
Sunt urbibus puellæ,
Quas rura nesciunt:
Et delicata muris
Se turba continet.
Queis urbium Penates
Nimfis superbiant,
Cui juncta BRAVNIANA est,
Id nôrit HESIVS.
Sincere cultor, HESI,
Turbæ novensilis,
Domûs ZAMELIANÆ
Amica portio,
Si Te virago pulcra,
Vt vultus arguit,
Amplectitur lacertis,
Et oscula imprimit,
Vni tibi probâris,
Nec alteri efferas.
Te fas amare Nimfam est,
Quam ducis, unicè.
Has prædicare, numquam
Caruit periculo.
Hæc una pars sacrati
Sit dIs silentii,
Et ara abominando
Temerata Clodio.
Hæc Myrtilum peremit
Lydum loquacitas.
Potitus est satelles
Vxore Regiâ.
At vos beata corda
Amate mutuùm
Longas per ævitates,
Ac vestra patrio
Decore videritis
Ornata pignera.
Sic annuant Amores
Cum matre duplices,
Deusq; præses ævi,
Iunoq; pronuba,
Et Anculæ faventes
Matrum laboribus.

Visum

Visum est autori subjicere his sequentia ejusdem generis metriq; antehac seorsim, at non sine mendis edita.

Amores
Eucharisti & Xanthiæ.

Diona mater alma
Nudi Cupidinis,
Quæ patris una ponis
Trisulca fulmina;
Quæ flectis una Ponti
Secunda Numina;
Mentemq; Ditis uris
Amoris ignibus:
Quos luminum ille fulgor
Lascivientium
Nati poposcit ictus,
Quorumve vulnera?
Stridente tela nervo
Emissa personant,
Casuq; non inani
Inane pervolant,
Fatoq; pectus imum
Librante perforant
Viri recentis ævi,
Blandæq; virginis.
Est læsus EVCHARISTVS,
Est læsa XANTHIA.
Quis dixit hoc Diona,
Cùm tot viragines
Recenseat patrimas,
Orbasq; patribus
Virtute, dote claras
Formosa Drusias;
Hæc posse bina corda
Coire rectiùs
Tædâq; nuptiali,
Et igne mutuo?
Ætatulæ vigore
Vterq; succido,
Et corporis decore
Vterq; florido,
Dulciq; uterq; more,
Cultuq; amabili,
Nataliumq; honore,
Par alter alteri,
Lætatur EVCHARISTVS
Amore XANTHIÆ,
Illamq; basiorum
Humectat imbribus.
Lætatur EVCHARISTI
Amore XANTHIA,
Illiq; basiorum
Concertat imbribus:
Queis nectar atq; mella
Cedant Hymettia,
Gangeticæq; cannæ
Medulla dapsilis:

Quos

Quos usq; provocando
Ab ore XANTHIÆ,
Seq; usq; proluendo
Dum mille nimbulis
Madescit EVCHARISTVS,
Non Regna Achæmenis
Mensasq; Satraparum
Centusse præstinet.
Quàm dulcis illa lucta,
Quâ palma quæritur
Non invidente vultu,
Nec hostis alter est:
Quâ summa præmiorum,
Et laurus ultima
Victoris atq; victi
Perennis ardor est!
Sic simplices columbæ
Iunctiq; turtures
Amant & osculantur,
Et suave-murmurant.
Sic fama quem sepulcri
Fidesq; conjugis
Omni sacravit ævo
Amasse creditur
Car teste sumtuoso
Amatus unicè.
Sic Thracium Poëtam,
Cùm plectra poneret
Amplexa dulcis uxor
Rigavit osculis.
O error absuisset
Furorq; noxius!
Tithonius dedißet
Non plura Pyramus:
Thisbe suo dedißet
Non plura Pyramo.
Et pauciora Phyllis
Thrëißa reddidit:
Et hospes antè Græcus
Non plura fixerat:
Nec plura pòst tulißet,
Si navis Attica
Maturiùs subîßet
Portus amasiæ.
Non suaviora Cypris
Pepigiße creditur
Carißimo puello,
Non ille Cypridi.
Quamvis parente digna,
Catone Marcia,
Cùm patrios Penates
Brutus relinqueret,
Sed tristis hæc marito
Ingessit oscula.
Vobis sit iste lusus,
Et hæc amatio:
His ducite usq; Soles,
Noctisq; tempora.
Vertamur ad Lyæi
Succos meraceos,
Votisq; depleamus
Congratulantibus,
Multisq; transigamus
Hæc festa plausibus.

Iam

Iam Sol Ibera fessus
Lustravit æquora,
Et luce pleniori
Exurgit Hesperus.
Thoros inite lætos
Amica pectora.
Dumq; illa mellisugis
Linguis reposcitis
Paullùm remissa bella,
Quod est tenerrimum,
Et ipsa dat voluptas
Inite prælium.

Cum Zynthii sorore,
Favente Cinxiâ
Amor cubile cingat
Et grex Adonidum,
Triumq; Gratiarum
Sincera copula.
Si sunt, quibus deorum,
Favit benignitas;
Si sacra Numen ullum
Curat jugalia;
Florebit EVCHARISTVS,
Et cara XANTHIA.

Pelias fracta.

MEmorate mî Camœnæ
Heliconis incolæ,
Nam vos tenetis ævi
Prioris omnia:
Hastamne movit alter
Pelidæ Achillei?
Aut quâ manu virili
Est fracta Pelias?
An illa, quæ tot Orbi
Heroas edidit,
Priami domus vetusto
Superba Dardano,
Trojana cùm juventus
Bellum capesseret,
Excussit hanc bipennem
Thetidos propagini?
Commune sit sepulcrum
Europæ Ilium,
Asiæq; prolem alentis
In ista funera,
Prostraveritq; pastor
Idæus Æaco
Satum improbis sagittis,
Quas Phœbus impulit;
Non Troii sagittis
Tamen est adulteri,
Nec Hectoris lacertis
Eversa Pelias.
Respexeris Achillem,
Et munus entheum;
His viribus minorem
Mecum negaveris.
Hanc ipse, qui gerebat
Timendus Ilio,
Briseidos removit
Incensus ignibus;

Dejecit hanc bipennem
Amor Polyxenæ.
O Cypri, quis deorum
Te maximam neget?
Centum Tibi Sabæis
Fumant odoribus
Aræ Paphum per altam:
Queis corda Regia
Sua thura & ipse gaudet
Adolere Iupiter.
Genus fatetur omne
Tuam potentiam.
Quoties Tibi calentes
Convertor ad focos;
Spolia inter ampla Regum
Est fracta Pelias.

Lusus amatorii.

I.

TRita quidem & simplex est prima figura modusq;
Primus in hac: at plus Barbara lucis habet.
Mitte modos alios, alias ne tange figuras.
Nam potes hoc, Thoma, cuncta probare modo.
Nubere Celarent negat argumenta volenti.
Fac norit dubium cara puella Tuum.
Hæc solvat. Ferio fuge durum & triste Ferison.
Concludes famulis hac ratione pigris.
Festino stolidum est. Nihil est in Cæsare pro Te.
Affirmativam destruit ille Tuam,
Quo Tibi se primùm Venus aurea præbuit æquam,
Cultorem illius Te jubet esse modi.

II.

INsurgat (Thoma) Sorbona, Academia, Pyrrho:
Thomistæq; rogent omnes, quei Barbara possit
Cunctorum esse instar soli Tibi sola modorum?
Et dicant, Quòd non: dicet Tua Barbara, Quòd sic.

III.

VAcare si horam & horulam alteram posset,
Mecumne ruere ab urbe in herbidos colles,
Aut limpidis quà internitent aquis gemmæ,
Quales dat alma Drusis, amnium ad ripas

Ipsum lubido incesseret, roganti mi
Thomam Hesium meum hospitem & cor adfine,
Superesse tamtillum sibi otii semper
Negavit: & calamum tenebat aut libros.
Amare postquam cœpit, atq; habet, ritè
Quod amet; diem pectusculo adsidet caro
Integrum, & hoc amplectitur procul libris,
Succoq; sepiæ. Vacare qui nescit
Ab Apolline & Musis, amoribus totum
Se dedat & Veneri: vacatio si qua est,
Præbere se Cupidini improbo prædam,
Vigilemq; noctes & dies pati flammam.

IV.

HIc vinuli mos est Cupidinis, Thoma.
Satiatus obviis in hospitum migrat
Frontem, genas, oculos, in intima exinde
Ossa & medullas, atq; pectorum claustra.
Caræ puellæ credo Te patrem numquam
Vidisse: nec Te vidit ille, forsan nec
Audivit, an sis aliquid accolæ gentis,
An Seras inter ultimos rudi Solem
Sub culmine evites. At illius prolem
Quæsiveris, si nôrit Hesium Thomam!
Mirabitur, tamquam roges, suumne cor
Sensusq; nôrit intimos: &, ut meipsum ac
Animum meum, inquiet: & merum osculum in pignus
Tibi ingeret. Rogabit inde, si quidquam
De Brauniana Barbarâ scias. De Te
Quod scire possis, illud adstrues scire
De Braunianâ, quam velut Tuum pectus
Habeas & ardeas. Locutus hæc pignus
Addes meraceum osculum. Sit hoc nosse
Et pignerare ad ultimum halitum vobis.

V.

URere, mitte Tuos in amicæ colla lacertos:
Oscula da centum: nec satis esse puta.
Da rursus centum: dein basia posce ducenta.
Vtere consilio, dulcis amice, meo.
Hoc Tibi, non tetrico deformibus ore Sophistis,
Nec puerorum animis, Grammaticisq; damus.

VI.

RVmpe moras, Hesi, decimum maturus in annum.
Rumpe moras, anni cuî periêre decem.
Nunc Tu Romam habites sub Consule; nescio si non
Imperet uxor I grande numisma Cato.
An Pandioniæ dicam spectacula turbæ,
Cùm subit infamem tarda juventa notam?
Hoc audis, pulcrâ mentem simul indole mutas,
Accenditq; Tuas optima Iuno faces.
Hoc est, Brauniolæ quòd diva Amathuntia malas
Sub niveo infersit lacte rubente rosâ;
Vt scires, quàm non tamtâ sine vindice pecces,
Cujus in Hippolytum verior ira fuit.
Nam Tecum in pœnam descendat sana juventus:
Et quisquam plecti vel leviore roget?
Naturæ pares: socios hæc exigit ignes,
Inq; olim pueris nomina patris amat.
Fac studio penses annorum damna priorum.
Iste Tibi succus sufficit, iste calor.

VII.

SEcula Te memorant, Cytheræa, deamq; fatentur:
Et puer in superis creditur esse Tuus.
Illius arbitrio caluit Rex ipse deorum:
Arsit & in mediis Ennosigæus aquis.
Venit ad infestos domitor quoq; pusio manes,
Et stygium docuit callida furta patrem.

Cùm

Cùm Tibi de victis ea constet gloria divis;
Debuerat sceptris Iupiter esse minor.
Quæ cœlum & terram & pontum & Styga Numine comples,
Nostro aliquem in versu, diva, tuere locum.

VIII.

Virg. Lumina cùm vobis sint tam lasciva, Poëtæ;
Carmina cur nos hæc vestra decere negant?
Poët. Adspectant vestros Vatum quòd lumina vultus,
Hoc sibi cum Phœbo patre licere putant.
Ne properè peccent; sit frons demissa puellis.
Humanum visu perdidit una genus.

IX.

Bis septem exactis virgo jam nubilis annis
Implebat lacrimis matre vidente sinum.
Sæpe dies totos faciem noctesq; rigabat,
Multaq; non ficti signa doloris erant.
Cui mater: Quæ caussa Tui, carissima, luctûs?
Ede mihi: nocuus sit procul ille pudor.
Nam si Te Veneris forsan subiêre calores;
Ecce senex viduus, cætera dives homo.
Cœpit ad hæc virgo majores promere questus:
Hem mater! nondum me Venus, inquit, habet.
Luna ter ex illo nascentem impleverat orbem,
Cùm teneræ venit pubis amica cohors.
Subridens virgo, mater cùm prima rogásset,
Hos, ait, optavi mater habere procos.

X.

Vidi ego formosam jam Sole cadente Neæram,
Cùm patrii staret liminis ante fores,
Nos inter medium pueris obeuntibus ignem,
Flagrabat mediâ qui regione viæ.
Non ita, dicebam, spectet secura Neæra,
Excitet hos ignes si puer unus Amor.

XI. Inu-

XI.

INutiles chartas amantium pari
Poëta nuper aridus dicaverat.
Legi, Quirine. Vtrumq; turturum vicem
Amare nauseæ probabat omnium.
Hic orsus exitusq; crudi carminis.
O corda procul his Orgiis! Nemone erat,
Qui seculi opprobrium typis averteret?

XII.

Amat. ANna quid hei perimis miserum crudelis amantem?
Quid Tibi profuerit funeris urna mei?
Sæpe insomnis abit nox, sæpe insomnia terrent:
Sæpe trahit longam mœsta querella diem;
Dum ceu serpentum spiras mea brachia vitas,
Et veluti morsus oscula nostra fugis.
Puel. Hoc Glaphyræ debes, nostros quæ solvit amores.
Hac ridente, Tibi sors mea vilis erat.
Sed Tibi neglectæ pectus crudele puellæ est,
Desertamq; potes sollicitare fidem.
Amat. Me servas, si Te conceptæ pœnitet iræ:
Sive luam; vitæ parce, puella, meæ.
Puel. Si me ardes unam, Glaphyræ nec amore calesces;
Victa volet precibus læsa redire Venus.

XIII.

QVis hic, Cupidini pedes qui vinculis
Hac in tabellâ primus induit? Nihil
Prorsus agitis, qui fingitis qui pingitis.
Lacertulos, manusq; lævam & dexteram
Si stringeretis fortiter, si frangere
Possetis arcum & quas gerit sagittulas;
Hoc esset induisse Amorem in vincula.

XIV.

AD cœnam nuper me Gisco vocârat amicus.
In mensâ juvenum copia major erat. Ma-

Matrem infra accubuit vernanti proxima turbæ
Filia: cuî juvenis: Fare, puella, mihi:
Quem, Tua si possent unius vota valere,
Mitteret in thalamos nostra corona Tuos?
Reddidit hæc: omnes estis florentibus annis,
At probitas vobis est malè tuta viris.
At qualem Tu nata voles, dixêre parentes,
Si dignè obsequeris, vir Tibi talis erit.

XV.

PRimulam Tibi veris inter horti
Inventam thalamos adhuc gelantes,
Prima ut acciperes, Neæra, mitto.
Hi sunt, cara Neæra, nostri amores.
Si meum Boreas latus perurat,
Atq; altâ nive porrigar sepultus;
Tui vivet amor meis medullis,
Eq; altâ nive se exeret sub auras.

XVI.

NAta quid hoc, mœstæ cari dixêre parentes,
Pallida quòd facies ægraq; tota Tua est?
Quid tam sollicita es, quid spes Tibi nostra negatur,
Vt Tua sit nostrâ conditione minor?
Nam quid, si velles, Tibi non concessimus ultro?
Hactenus amplexus, reddidit illa, viri.

XVII.

NAm quis (viden Neæra?) fontium addidit
Siphonibus matrem improbi Cupidinis,
Ipsumq;, nudos ambo, & ore frigidam
Mei ministrantes PetronI rusculo?
Gelidis & illa & ille limfis abstinent,
Dirùmq; mentes ustulant amantium.
Marine & undis cùm Venus sit edita,
Docere voluit hoc deam Petronius?

XVIII. *Vesta-*

XVIII.

VEstali Paphius quàm longè dissidet ignis!
Pallet, qui flagrat hoc: efficit ille nigros.

XIX.

IMmensos Tegii Pyrrhæq; canamus amores.
Dixerat huîc Tegius: Bos Iovis instar ero.
Vt rapiar Tecum, quodcumq; intraveris æquor,
Dilecto incumbam (subjicit illa) bovi.
Vxori genitor, cui res est prodita, dixit:
Nubat, ne pereat filia nostra mari.

XX.

OH nescis, Staphyle, quamtis miser ignibus urar:
Nec lacrimas nosti sæva puella meas.
Nescis, quamta Tuo sit in hoc injuria facto,
Quæ vitam hanc, at cuî? qui Te amat unam, adimis.
Nescisses nostrum forsan, premeremq; dolorem;
Posses in fatis lætior esse meis.

XXI.

MItto Tibi, Staphyle, raræ dulcedinis uvam.
Talis Tute mihi es; dulcior at Staphyle.

XXII.

QVid fingis, quid pingis, anus, quæ mens Tibi, & ultri
Quid stolida es? norunt Te juvenes: anus es.

XXIII.

ILla, quibus nullæ dederint majora puellæ,
Esse mei juris, cara Neæra, facis.
Vtar jure meo nunc mitis in oscula nunc trux,
Cùm data seu sumam basia, seu rapiam.
Et mera vibrantis linguæ sugam omnia, & omnem
Succum, ipsamq; animam è faucibus eliciam.
Tumq; animo repetens, quid sæpe negaverit illa,
Infligam memorem dente tenace notam.

Verùm

Verùm his nequitiis non sic satiatus abibo:
Inde Tibi mecum pugna sed acris erit.
Mille dabo & totidem: totidem totidemq́ʒ rependes
Oscula: cùm dederis, altera mille dabo.
Verùm ego basiolis non his satiatus abibo;
Certamen mecum sed Tibi majus erit.
Sæpe Neæra vetas illud me dicere, quid sit.
Dicere sed prohibes, non prohibes facere.

XXIV.

Esse putas aliquid, nec laus Te judice parva est,
Anthale, quòd numerat Gellia mille procos;
Quòd placuisse Tuos unius dicit amores,
Et Te prælatum mille fuisse procis.
At mea simplicior, rectiq́ʒ Neæra pudoris.
Nil numerat. Nam Tu (sic ait) unus eras.

XXV.

Satis illum Avenium superq́ʒ risimus:
Qui se Ethicum professus hoc in virginis
Posuerat aure, nec assidens vel osculum
Impresserat, vel molle junxerat latus:
Sed nec manu aut lacerto. Et incusat deos?
Si ames, locusq́ʒ sit, hæc obire negligas!

XXVI.

Dixit amans juvenis: saltem hoc, Cornelia, reddas,
Saltem hoc, si non vis addere plura: AMO TE.
At virgo: ne Te his solùm dimisero verbis,
Amplius hoc dicam, Faustule: NON AMO TE.

Ad Lectorem.

Si releges lector, quæ videris edita pridem,
Deme fidem primis: hæc ego nostra puto.

